

THOM. ARCHID. SPALAT.

HISTORIA SALONITANORUM PONTIFI- CUM ATQUE SPALATENSIIUM,

CAP. I.

De Dalmatia.

Dalmatia secundum Isidorum est prima pars Græciæ, & dicitur à Delmi Civitate antiqua, quæ ibi fuit, sed ubi hæc Civitas Delmis in Dalmatiæ partibus fuerit non satis patet: Verumtamen Dalmatia dicebatur olim largius: censebatur enim cum Corovatia una Provincia. Est enim regio quædam in superioribus partibus, quæ dicitur Delmina, ubi antiqua mœnia ostenduntur, ibique fuisse Delmis Civitas memoratur. Nunc verò Dalmatia est Regio maritima, incipiens ab Epyro, ubi est Dyrrachium, & protenditur usque ad sinum Quarnarium, in cuius interioribus est Oppidum Stridonis, quod Dalmatiæ, Pannoniæque confinium fuit: hæc fuit patria tellus B. Hieronymi Doctoris. Dicta est Dalmatia etiam alio nomine Liburnia, à quodam genere navis piraticæ, quæ in usu erat apud illos, unde Lucanus:

Pugnacesque Mari Graja cum classe Liburnos.

Exercebāt piraterium propter opportunitatem locorum, quia mare illud, ob multitudinem Insularum latebrosū, & portuosum est valde. Dicta est etiam hæc Provincia Illyris à quadam Regina Amazonum, quæ ibi regnavit, de cuius stirpe dicuntur illi Populi traxisse originem. Per mare huius Provinciæ transivit Antenor Trojanus, qui suæ Urbis evadens excidium, cum gente Dalmatica prælia multa commisit: ad ultimum pervenit ad partem Venetiarum, idem progrediens super oras Padifluminis ædificavit Civitatem Patavium, quæ nunc Padua nuncupatur, sicut in Virgilio legitur. In historiis verò Romanorum habetur, quod cum Imperator Augustus in partibus Illyricis exercitum duceret, & ipse aliò properaret, misit quemdam Ducem Vennium nomine contra Pannonios, qui duobus acribus fluviiis circumvallantur, Drava, & Sava contra Dalmaticos ibidem misit Ducem Iulium cum exercitu multo, qui Dalmatæ commorantes in silvis, circumadjacentes provincias latrocinando vastabant, qui Iulius congressus cum eis, victoriaque potitus, gentem illam, licet esset efferum genus hominum, coegit ab armis discedere, & terram fodere, aurumque de venis terræ purgare. Secundum Poetarum fabulas Cadmus dicitur in eandem devenisse Provinciam, quando in serpentem mutatus est, fuit

autem Civitas ejus Epitaurus, quæ est juxta Ragusium, in qua est magnum antium, & usque hodie opinio est ibi habitare Draconem, Vnde Poeta:

*Cum in amicorum vitis, tam cernis acutum,
Vt serpens Epitaurius*

Ob hanc causam populi dicebantur Anguigenæ, & etiam de B. Hyllatione legitur, quod magnum ibi Draconem peremit; Secundum historiam verò idem Cadmus Rex fuit in Græcia, qui depulsus Regno venit in Dalmatiam, factusque Pirata sævissimus, cepit quasi lubricus anguis per mare discurrere, navigantibus insidiari, & quoscumque poterat opprimere impotentes. Adria nihilominus hæc provincia nuncupatur ab Adriane filia Minois Regis, quam rapuit Theseus, & per mare navigans, cum ipsam exosam haberet, reliquit in quadam Insula solam, & aufugit cum sorore ipsius Phædra: Sed Baccus, qui & liber pater dicitur eam inveniens sibi in uxorem accepit. Quidam dicunt, quod Adria dicitur à quodam Adrio Itali fratre qui regnavit ibidem, vel secundum quosdam Adria dicitur ab Adria, quod est lapis, quia lapiduosā, & montuosā est hæc provincia. Vnde Ovidius:

Subdita Montana Brachia Dalmatia.

CAP. II.

De Salona.

Fuit autem Metropolis Civitas Dalmatiæ Salona, Vrbs, magna, & antiqua, de qua dicit Lucanus:

*Qua Maris Adriati longas ferit Vnda
Salonas.*

Dicta autem est Salona à Salo, hoc est à mari, quia in littore maris sita est, longa verò idcirco dicta est, quia modicum lata, sed in longum ferè sex miliaribus versus occidentalem plagam protendebatur. Hæc Civitas tempore bellorum Civilium fidem inconcussam Romanæ Reipublicæ observans, dominium Cæsaris respuebat. Quamobrem ad subjugandum eam misit Cæsar Antonium Cognatum suum cum magno navali exercitu, ipse verò insequendo Pompe-

Pompejum à Brundisio tranſveſtus eſt in Epirum. Tunc Antonius præmiſit quendam Ducem nomine Vltejum, qui in Inſulis Salonitani littoris exercitum coadunaret, ſed ex parte Pompei erant in Salona duo Duces Baſilius, & Octavius. Iſti coegerunt magnas populorum adjacentium catervas: videlicet Curetum Dalmatinorum, & Iſtriorum expectantes Cæſaris partes, ut cum eis conſigaret, ſed Vltejus famis, ſitisque coarctatus penuria, non potuit ulterius in Inſulis commorari, & licet eſſet undique Oſtium vallatus inſidiis, tamen quamdam navem cum meliori ſociorum manu conſcendens voluit latenter tranſponi in terram, ſed hoſtium inſidiis circumpoſitis, navis in medio tranſitu intercepta eſt, cumque navis hæreret immobilis videns Vltejus, quod non pateret via divertendi, cohortatus eſt ſuos, ut pro honore Cæſaris mori fortiter parati eſſent, antequam in hoſtiles inciderent manus, ſicque factum eſt, nam cum viderent Pompejanos jaculis, lapidibus, & ſagittis inſtare, jamque paratos ad navem manus apponere, intusque inſilire, deſeſſus jam Vltejus cum ſuis cum diutiſſimè viriliter reſtiſſet, ne vivi ad manus hoſtium devenirent, mutuis ſe vulneribus confoderunt, & mortui ſunt. Audiens ergo Antonius interitum Vltei, & ſuorum commilitonum, non appoſuit ulterius venire Salonom, ſed ad Cæſarem reverſus eſt. In tantum autem Civitas hæc fidem inviolatam reipublicæ cuſtodivit, quod patrata Cæſar totius Orbis victoria, & jam ſolus ad mundi monarchiam provectus adhuc Civitati Salonæ minimè imperabat, quamobrem poſt Cæſaris necem Octavianus Auguſtus miſit quendam Illuſtrem virum ex conſulibus nomine Afinium cum exercitu multo, qui Salonom Romano Imperio ſubjugaret. Tunc Pollio in Dalmatiam veniens, multis bellis cepit impugnare Salonom, unde obſeſſa Civitas, & diutius navali, & equeſtri exagitata congreſſu, tandem in manibus Romanorum tradita eſt, in qua obſidione natus eſt Pollioni filius, cui Saloninus nomen impoſuit, tunc verò magna pars Civitatis illius deſtructa fuit, majores etiam munitiones dirutæ, ne Romanæ Reipublicæ rebellare ulterius poſſet. Peracta ergo victoria, Pollio cum ſuo exercitu reverſus eſt Romam, ubi cum magna Gloria, & laudis triumpho à Senatu, Populoque Romano ſuſceptus eſt, de quo in Odis concinens Horatius dicit:

Cui laurus æternos honores.

Dalmatico peperit triumpho.

Fuit autem iſte Pollio non ſolum armis ſtrenuus, ſed etiam poetica ſacundia inſignis, libroſque nonnullos lyricis metris compoſuit.

CAP. III.

De Sancto Domnio, & Sancto Domnionem.

Primus itaque B. Paulus Apoſtolus, qui ab Hieruſalem, uſque Illyricum replevit Evangelio Chriſti: non tamen ipſe per ſe intravit Illyricum prædicare, ſed miſit Titum diſcipulum ſuum, ſicut dicit ad Timotheum: *Creſcens abiit in Galatiam, Titus in Dalmatiam*, hic ergo B. Titus ad Dalmatiæ partes adveniens, & verbum ſalutis gentibus illis prædicans, non longo illic tempore manſit, ſed audiens quod B. Paulus à Præſide feſto juſſus eſſet Romam pergere, ſtatim omiſſis omnibus, præveniẽſeum expectavit in Vrbe; quò cum B. Apoſtolus acceſſiſſet, ibi verbum Dei diutius prædicavit. Cum autem per Spiritum Sanctum cognosceret in eadem Vrbe ſuum martyrium conſummandum de Eccleſiis Græciæ diſponere curavit; quam obrem B. Titum non remiſit ad Dalmatias, ſed ad Græciam, ubi magis erat notus, Pontificem eum conſtituens apud inſulam Cretam: Cujus loco B. Petrus Apoſtolorum Princeps direxit quendam Diſcipulum ſuum nomine Domnium natione Syrum; patria Antiochenum, qui Dalmatiæ populis verbum vitæ, quod per Titum inchoatum fuerat, prædicaret. Hoc enim B. Petrus ſtatuerat, ut Pontifices Chriſtiænæ religionis ſic diſponerentur per Vrbes ſingulas totius Orbis, quemadmodum apud gentiles fuerat antiquitus conſtitutum, in illis enim Urbibus, in quibus erant gentiles Antiſtites, qui dicebantur Protoſamines fecit ordinari Episcopos, in Metropoles verò Provinciarum, ubi erant Archiſamines, Archiepiſcopos cenſuit ſtatuendos. Vnde per oras Adriatici ſinus tres direxit Pontifices: Apollinarem Ravennæ quæ eſt Metropolis totius Provinciæ Æmiliæ; Marcum Evangeliſtam Aquileiæ, quæ præerat Venetiæ, & Iſtriz. Domnium verò in Salonom direxit, quæ caput erat Dalmatiæ, & Croatia, in qua denique Civitate diutius prædicans, multosque per totam provinciam à gentilitatis errore convertens, non parvam Chriſto Eccleſiam adunavit, ibique agonem ſui Martyrii felici cruore peregit. Ab hujus ergo præeminẽtia Apoſtolicæ dignitatis omnes ſucceſſores ſui Archiepiſcopalia inſignia per ſedem Apoſtolicam ſortiuntur. Hic autem cum multis aliis paſſus eſt, qui eum uno menſe ad Martyrii gloriam præceſſerunt. Poſtmodum verò tempore Diocletianæ, & Maximianæ perſecutionis alter ſimili nomine Martyr fuit, qui Domnionis vocabulo à Pontificis Domnii nomine, modicū differt: Sed hic fuit unus ex Cubiculariis Maximiani Tyranni, Cui ergo iſte Domnio

D d

majo.

majoris dilectionis apud Imperatorem prærogativa gauderet, ipse coronam Imperii conservabat, & ipsam tempore debito super Imperatoris verticem imponebat; erat autem occultè Christianus, & cum videret Maximianum adèdò crudeliter in Christianos desævire, ut multos à sancto proposito deterreret: ipse utpote Christianissimus, & devotissimus exhortabatur Martyres in sancto proposito finaliter perdurare; Tunc fecit opportunitatem eis effugiendi Tyranni rabiem, & ad Romanam Urbem divertendi; quod cum ad Maximiani devenisset notitiam, acius in eum persecutionis desævire insania; ita ut ad primam confessionem Christiani nominis expoliatus Regio habitu, nisi Idolis immolaret, illicò susciperet sententiam capitalem, sed B. Domnio Tyranni declinans sævitiam Romam fugiens properabat: & dum iret via Claudia propè Civitatem quandam, quæ Iulia Chrysolopolis appellatur, Satellites Imperatoris post ipsum currentes, invaserunt eum, & strictis mucronibus circumdantes amputaverunt Caput ejus. Ipse verò martyr virtute divina propriis manibus caput suum de terra dicitur elevasse, & ibidem quendam fluvium, qui Syticion nominatur, firmis gressibus transvadasse, ibique sepultus aliquo tempore requievit. Cum autem Dominus multa per eum miracula operaretur, ex multis provinciis pro sanitate adipiscenda ad locum ipsum confluebant. Tunc Salonitani Cives, quia æquidominus erat B. Domnio, Pontifici, abeuntes rapuerunt corpus B. Domnionis, & cum magna reverentia locaverunt Salonæ. Qua de re propter nominis consonantiam multoties vocabulum Domnionis pro nomine Domnii, & è converso confusè describitur. Eodem tempore Anastasius Aquileiensis apud Salonam Martyrium pro Christi nomine suscepit.

C A P. IV.

De Constructione Ædificii,
quod Spalarum nuncupatur.

PER idem tempus Diocletianus pater Maximiani, qui ex Dalmatiæ partibus oriundus extitit ob res ab eo pro Republica multum strenuè gestas, à Senatu, Populoque Romano Imperator fuerat cōstitutus: hic super omnes alios prædecessores suos immanissimus Christianorum extitit persecutor, qui cum per universum Orbem fideles Christi beluina feritate persequi non cessaret, velut rabidus leo situm suæ perfidiæ Christiano cruore non potèrat satiare; Propter ipsius siquidem edicta pestifera tot millia Christianorum quotidie trucidabantur; ut penè videretur totius humani generis excidium imminere: unde à suis aulicis Tyranno suggestum est, ut tam crudele revocaret edictum, ne

tanta hominum cædes quotidie fieret; quatiendum erat, ne fortè toto mundo in exterminium dato non esset, cui posset ulterius imperare. Tunc Diocletianus tale moderamen suæ voluit adhibere sævitiae, dans legem, ut qui nollet à Christiana cultura recedere, non ut prius statim capite plecteretur: sed bonis omnibus expoliatus, ad diversa metalla, & ad fodiendas arenas exul patria damnaretur. Itaque in diversis mundi partibus iussit Imperator ob Augustalem memoriam multa ædificia erigi, ad quorum laboriosas operas damnatitios quosque maximè Christianos mitti præcepit. Præter alia quidem multa ædificia Romæ fecit fieri Thermas: in Pannoniæ partibus in confinio Rutheniæ quoddam construxit ædificium ex lapidibus porphyreticis satis excellens, quod adhuc licet dirutum, magnum tamen inde transeuntibus admirationis, spectaculum præstat, sicut legitur in historia quatuor Coronatorum. In terra verò Gothorum, quæ nunc Servia, seu Rascia nuncupatur prope Stagnum quoddam Civitatem fecit construi, quam ex suo nomine Diocliam appellavit. Et quia Dalmatinus erat origine nobilius ædificium propè Salonam ædificari iussit in modum Urbis munitissimæ, quasi Imperiale Palatium, in quo templa facta sunt Idolorum Iovis, Asclepei, sicut apparet usque in hodiernum diem, in hoc ædificio Diocletianus Matrem suam habitare fecit, tradens ei Salonam cum tota Provincia: hoc scilicet ædificium Spalarum dictum est à Pallantheo, quod antiqui spatiosum dicebant palatium. His temporibus Gayus similiter natione Dalmaticus summus Pontifex factus est Apostolicæ sedis. Fuit autem iste Gayus tempore Sebastiani Martyris, qui cum Chromacio Urbis præfecto Marcelliano, & Marco agonizantes Martyrio confortabat: quamvis enim esset de genere Diocletiani Cæsaris, non tamen pacem Christianis obtinere potuit: quinimò persecutionis turbo cum cæteris eum involvit martyribus XII. ferè annis Apostolicæ præsidens Ecclesiæ cum triumpho Martyrii perrexit ad Dominum.

C A P. V.

De Clicerio & Natali Salonitanis Præsulibus.

EA tempestate Salona optimo statu pollebat, magna Civium, & extraneorum populositate florebat, persecutionis verò jam cessante procella Ecclesia suum paulatim resumpsit vigorem. Multitudo Cleri, quæ ibi erat Ecclesiasticis capit institutionibus informari, pluresque præsules post B. Domnium seriatim successerunt, de aliquibus prout scire potuimus ad postea.